Bryn Mawr College

Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special Collections, Digitized Books

1857

De Taciti Germania disputatio

Friedrich Münscherr

Follow this and additional works at: https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks Let us know how access to this document benefits you.

Citation

Münscher, Friedrich. 1857. De Taciti Germania disputatio. PhD Diss., Philipps-Universität Marburg.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/121

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

FRATRI CONIUNCTISSIMO CARISSIMO

GUILIELMO PHILIPPO MUENSCHER

GYMNASII QUOD EST APUD HERSFELDENSES DIRECTORI

SOLEMNIA

OB MUNUS DIRECTORIS PER HOS QUINQUE ET VIGINTI ANNOS

FELICITER BENEQUE GESTUM

PRIDIE CALENDAS NOVEMBRES ANNI MDCCCLVII

RITE CELEBRANDA

PIO LAETOQUE ANIMO

GRATULATUR

Dr. FRIDERICUS MUENSCHER


GYMNASH QUOD EST APUD MARBURGENSES DIRECTOR.



MARBURGI.

TYPIS ELWERTI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCLVII.



Repetenti mihi, carissime frater, aetatis tecum peractae memoriam saepenumero in mentem venit et illud tempus, quum in coenobio illo, quod in civitate Marburgensium exstructum a cucullatis vitae communis fratribus "Kugelhof" nomen traxit, frater fratrem literarum latinarum initiis puerum me instituisti, et illud, quum gymnasii, quod est apud Hersfeldenses, praeceptor atque collaborator mihi eiusdem scholae alumno auctor atque dux fuisti Taciti et legendi et diligendi. Quam ob rem, postquam consilium mihi fuit, ut munere quodam, quantulum-cunque esset, offerendo conditum quintum gymnasii prospere gubernati lustrum tibi gratularer, nihil habui te dignius, quo laetum gratumque animum significarem, quam hanc de Taciti Germania scriptionem. Ita enim et fraternae inter nos caritatis studiorumque societatis, et communis in patriam pietatis simul renovatur recordatio. Hoc igitur familiare quoddam opusculum boni quaeso consulas, et, si in scriptione mea multa videantur desiderari, at animi tamen benevolentiam in me quam maximam esse, certum comprobatumque habeas.

Colonial Col

the contract of the contract o

Morale Burgarde - 1981 1980 - September Burgasar - tempular supplied by Blemannik Book Co.

the partie of the property of the party of t

And the state of the second of the state of the state of the second of the second of the state of the second of th

the section of the case there entitle red building contains the contains of the entire

the way the contract of the co

and the state of t

the best of the second testing and the contract of the second of the sec

and the state of t

The state of the s

Propositum autem mihi est ita de Taciti Germania disputare, ut primum, qua ratione in scribendo libro ille usus sit, quaeratur, deinde paucae in difficiliores quosdam illius libri locos observationes addantur.

A SHEET OF THE PROPERTY OF THE

Iam igitur videamus, quam in scribendo Tacitus rationem secutus sit, qua arte librum disposuerit. Qua de re quum Ludovicus Doederlein, vir de

literis et Graecis et Latinis optime meritus, in editione Taciti (Tom. II. pag. 8.) non plura attulerit, quam quibus Ludenii illius rerum Germanicarum scriptoris de Taciti Germania opinionem refutaret, magnam nobis fecit et potestatem et voluntatem uberius rem tractandi.

Omnem de Germania librum, id quod inter omnes constat, Tacitus in duas divisit partes, quarum altera de universa Germanorum gente, altera de singulis nationibus ageret. In priore autem parte, antequam ad ipsam rem accederet, de situ terrae et hominum origine paucis praefatus est, quae inde a primo capite usque ad quinti finem leguntur. Quo velut fundamento iacto de universae gentis moribus exponere et prius quidem de publicis, deinde de privatis Germanorum rebus scribere coepit.

Initium autem ita facit, ut terram Germanorum circumscribat terminis. Neque tamen notionem geographicam, quam vocant, apud eum tantum valuisse, ut veram Germanorum indolem negligeret, quum ex aliis multis, tum inde apparet, quod in altero et in iis, quae sequuntur, capitibus exponit, non deesse quidem, qui Herculem, Ulyssem, alios in Germaniam venisse censeant, sibi vero Germanos videri indigenas esse, cum aliis gentibus minime commixtos. Confirmat autem hanc de sincera Germanorum indole sententiam iis, quae in capite duodetricesimo de Avariscorum Osorumque sermone, institutis, moribus a Germanorum gente alienis leguntur. Itaque Tacitus, quamquam parum accurate spectantibus nobis videtur notionem, quam de Germanis habeat, non aliunde percepisse, nisi ex terrae situ finibusque, tamen re vera optime facit cum Arndtio nostro, qui praeclarum illud composuit: Was ist des Deutschen Vaterland? — Germanos enim Tacitus eos esse censet, qui non magis sedibus et finibus, quam indole, sermone, institutis, moribus secernantur ab aliis gentibus.

Tum exordii finem ita facit scriptor, ut de soli coelique specie atque de iis, quae apud Germanos gignuntur, paucis exponat. In quibus quum de ferro mentionem facit, aptissimam sibi parat transitionem ad arma remque bellicam exponendam, quod vitae morumque genus necessitudine quadam cum ferro coniunctum est.

Cur in moribus Germanorum describendis Tacitus primum armorum atque pugnandi bellandique rationem habuerit, nemini potest esse dubium, qui reputaverit, quot quantaque bella Romanis intulerint Germani. Totam autem de re bellica

commemorationem scriptor ita per tria*) capita flectit, ut extrema parte de iis agat mulieribus, quae de eventu proeliorum vaticinari existimabantur atque numinum loco apud Germanos colebantur.

Inde facillime transitus fit ad rem sacram adumbrandam, qua haud scio an ulla alia post bellicam maior et memoratu dignior visa sit Romanis. Ubi vero de cultu deorum rebusque divinis, quantum scriptor ille Romanus religiones a patriis multum abhorrentes ingenio percipere poterat, satis exposuit**), eadem, quam supra notavimus, arte annectit atque adiungit prioribus ea, quae sequuntur. Nam quum ad extremum de modo consulendi deos egerit, iam sic ad reipublicae administrandae expositionem transgreditur, ut prima parte de principum civitatumque consultationibus agat. Hanc morum atque institutorum partem ubi duorum capitum ambitu***) tractavit, rem eo deducit, ut, quum antea de iure publico, quo omnes tenebantur, exposuerit, postremo****) comitatus, qui non magis ad civitatem, quam ad singulos et principes et comites pertinebat, exprimat imaginem.

Ita et optime finem facit de rebus Germanorum publicis agendi et ad res privatas depingendas aptissimum struit transitum.

De domesticis autem rebus ab initio capitis quinti decimi sic orditur dicere, ut eas bellandi studio, quod supra descripsit, opponat. Ac primum quidem de re domestica universa exponit†), deinde postquam de rebus externis, aedificiis††) et vestitu†††), explanavit, tanquam aditu ad penetralia patefacto, ex adumbrato mulierum vestitu progreditur ad matrimoniorum severitatem††††), liberorum educationem, propinquorum et hospitum conditionem†††††) praeclarissimis verbis depingendam, qua re et Germanorum et sui ipsius egregium atque immortale posuit monumentum.

Inde jam tanquam ex primaria eademque media parte oratio deflectit ad res minores. Iis enim, quae ab altero et vicesimo capite usque ad septimum et vicesimum leguntur, de vita quotidiana, de delectationibus atque ludis, de servis et libertis, de re familiari, denique de iis, quae extremae rerum humanarum conditionis sunt, de funeribus et exsequiis mirum in modum concinne et graviter agitur.

Atque haec quidem de ea libri parte, qua de univers. Germanorum gente agitur; alteram vero partem, qua singulae nationes et recensentur et depinguntur,

^{*)} Cap. 6. 7. 8. — **) Cap. 9 et 10. — ***) Cap. 11. 12. — ****) Cap. 13. 14. — †) Cap. 15. — ††) Cap. 16. — †††) Cap. 17. — ††††) Cap. 18 et 19. — †††††) Cap. 20 et 21.

quum in ea disponenda scriptor ille parum artis potuerit adhibere, non est, quod persequamur. Jam enim iis, quae demonstravi, satis mihi videor probasse, miram quandam atque incredibilem in Tacito fuisse artem et disponendi res et annectendi.

Superest igitur, id quod supra denuntiavimus, ut difficiliores quosdam locos, qui in Taciti de Germania libro leguntur, in quaestionem vocemus in iisque interpretandis si quid possimus, experiamur. Consideranti autem mihi, quibus cura prae ceteris adhibenda sit, duo visi sunt vel maxime desiderare, in quibus tractandis elaborarem, quorum alter est in tertio decimo, alter in sexto et vicesimo libri de Germania capite.

Jam igitur eum locum tentemus, qui in tertio decimo capite exstat. Ibi Tacitus, postquam narravit, adolescentulos civitati probatos vel a principibus vel a patribus in ipso concilio ornari armis, haec addit, quae in omnibus fere libris editis sibi constant: "Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis "dignationem etiam adolescentulis assignant; ceteris robustioribus ac iam pridem "probatis aggregantur. nec rubor inter comites aspici". Unus, quantum video, Franciscus Ritter, paucorum codicum manu scriptorum auctoritate motus, recepto vocabulo dignationis praetulit dignitatem; Fridericus autem Haase, Ernestii illius exemplum secutus, "ceteris" in "ceteri" mutavit. Haec de scripturae discrepantiis sufficiant. Mutationem enim Friderico Haase probatam infra tractabimus; eam vero scripturam, quam Franc. Ritter praefert, in locum interpretandum haud magni esse momenti, continuo apparebit.

His praemissis, primum, qui sit controversiae status, videtur exponendum esse.

Georg. Henricus Walther*) censet, "verbo adsignandi inesse destinandi "notionem, ut cogites de re non statim tributa, sed in posterum tribuenda; ita "dignationem principis (Fürstenehre) non ipsum esse principatum".

Gaspar. Orellius**) "dignationem" accipit "sensu transitivo" et ita interpretatur: "Insignis nobilitas et magna patrum merita efficiunt, ut principis iudicio

^{*)} Cf. Tacit. op. Halis. 1833. - **) Cf. Tac. op. 1846 et 1848.

"digni habeantur adolescentuli, qui in ipsius comitatum recipiantur", quam interpretationem Waitz (Deutsche Verfassungsgeschichte p. 151) amplectitur.

Ludovicus Doederlein*) haec habet: "nobilissimorum filii etiamsi "iam adolescentuli dignationem principis habent, vim tamen ac munus principis "non habent, sed plebeiis aggregati alium sequuntur, qui reapse princeps est.... "Nec profecto credibile est, adolescentulos, h. e. pueros sedecim fere annorum, vere "principes fuisse et comitatum duxisse".

Franciscus Ritter**) locum ita explicat: "Haec igitur scriptoris sententia "est, principem adolescentulum cum suis comitibus sequi exemplum alius principis "annis et armorum scientia praefulgentis. Qui adgregatur, non subiicitur, sed "auctorem et ducem ita tantum sequitur, ut eius exemplo et peritia utatur".

Restat, ut ea, quae viri docti in utramque partem disputarunt, accurate perpendamus et diiudicemus.

Orellii interpretatio haud scio an multis laboret difficultatibus. Primum enim non video, cur Tacitus haec addiderit, si nihil aliud, nisi quod Orellius coniectura assequitur, in animo erat addere; sequentia vero: "ceteris... aggregantur" apud scriptorem et brevitatis et gravitatis dicendi amantissimum ferri plane nequeunt; nam "aggregari ceteris", id est in comitatum recipi, nihil habet praecipui. Deinde illa interpretatio repugnat iis, quae a grammaticis de usu ac dispositione verborum praecipiuntur. Satis enim apparet, vocabulo "principis" quod ante "dignationem" collocatum sit, maius quoddam tribui momentum; sed in ea sententia, quam Orellius ex Taciti verbis colligit, eius momenti ne ulla quidem habetur ratio. — Adde, quod in quibusdam codicibus manu scriptis, ut in Arundeliano, pro dignatione dignitas legitur, unde colligamus licet, dignationis vim l. l. ad dignitatem proxime accedere et cum ea congruere. Accedit denique, quod apud Tacitum dignatio teste Boettichero illo semper eandem ac dignitas vim obtinet***). Ita nihil relinquitur, nisi ut Orellii sententiam improbemus et vocabulum dignationis sensu intransitivo accipiendum esse censeamus.

In iis autem, quae Doederlein proposuit, quamquam multa probanda sunt, id non intelligo, cur dignitas quidem principis adolescentulis concedatur, munus atque vis iisdem abrogetur. Tacitus enim nihil mihi videtur eius modi

^{*)} Tac. op. 1847. - **) Tac. op. ed. 1848. - ***) Cf. Boetticheri lexicon Taciteum.

indicare. Huic interpretationi paene congruit sententia Waltheri, qui, quum censet, in verbo assignandi eam inesse vim, ut dignitas non in proximum, sed in posterum demum tempus tribuatur, neque in peculiari assignandi notione, neque in Taciti sermone quidquam habet praesidii.

Franciscus autem Ritter, etiamsi locum bene perspexit, id solum mihi videtur errasse, quod principem adolescentulum, quum Tacitus ceteris principibus eum aggregari aperte dicat, exemplum alius, id est unius ex ceteris principibus, sequi iudicat. Qui enim ceteris aggregantur, ceterorum et rationem et exempla solent imitari. Quodsi vero Doederlein et Waitz negant, "credibile esse, adolescentulos vere principes fuisse", recte quidem de adolescentulorum virtutibus dubitant; at singulare, ait Tacitus, id fuisse in Germanis, ut ob insignem nobilitatem aut magna patrum merita ab usitata ratione recederent. Qua in re id quoque mihi videtur considerandum esse, etiam huius temporis principibus saepe usu venire, ut adolescentuli ad summam promoveantur dignitatem. Praeterea si Waitz, quocum Fridericus Haase sentire eamque ob causam "ceteris" in "ceteri" mutasse videtur, fieri posse negat, ut ceteri, qui robustiores ac iam pridem probati esse dicuntur, principum loco fuisse intelligantur, mihi videtur non satis reputasse, nihil esse impedimento, quin verba Taciti: "ac iam pridem probatis" referantur ad eos, qui prudentiae, experientiae, probitatis dederint documenta. Id enim ab omnibus ei concedi velim, nobilitatem in principibus ut rem necessariam requirere non solitos fuisse Germanos.

Totum igitur Taciti locum sic censeo interpretandum esse: apud Germanos eum obtinuisse morem, ut ob insignem nobilitatem aut magna patrum merita vel adolescentulis (ex consensu civitatis) principum dignitas attribueretur iique in ceterorum principum civitati probatiorum numerum reciperentur; neque tamen iis, quibus tanta dignitas non tribueretur, probro fuisse in comitum numerum recipi, quum in hoc etiam numero dignitatis exstarent gradus, quos princeps, quibus vellet, attribueret*).

^{*)} Confer. Paul Roth Geschichte des Beneficialwesens pag. 12-16, quem librum doleo post confectam demum hanc scriptionem a me cognitum esse. Qui vir de rerum Germanicarum antiquitatibus bene meritus quamquam mihi quidem non eadem probavit ac sibi, multa tamen attulit, quorum, si tempus daretur, vel maxime ratio esset habenda.

Iam ad alterum locum, qui est in sexto et vicesimo capite, transeamus. Quo in loco interpretando quum viri docti in varias atque diversas partes abeant, in rem mihi videtur esse, ut primum, quid ipse de eo loco sentiam, deinde aliis quid de eodem videatur, exponam. Leguntur enim l. l. haec, quae et optimorum codicum manu scriptorum auctoritate confirmantur et a pluribus editoribus recepta sunt: Agri pro numero cultorum ab universis in vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur; facilitatem partiendi camporum spatia praebent. Arva per annos mutant, et superest ager.

Quae ut recte intelligantur, id praemonendum esse censeo, non de rebus publicis, sed de rebus privatis, de consuetudine ex re familiari fructum capiendi hoc loco agere Tacitum. Hanc enim rationem multum valere existimo ad vocabula et agrorum et occupandi recte interpretanda. Agri enim non territorium, in cultorum ditionem redactum, quod apud nos: Gebiet sive: Gemarkung vocatur, sed praedia (Ländereien) esse videntur, in quibus et arva et prata et arbusta sunt. -Occupare autem agros non esse existimaverim potiri agris, sed capere et destinare ad culturam agros, ut fructus inde nascantur. — Vocabula: in vices aut invicem, quae in codice quodam MS. probatae auctoritatis, quem Perizonianum vocant, leguntur, non ita accipienda esse sentio, ut rem mutuam, sed ut rem deinceps agendam significent. -Vocabulo: mox indicatur tempus, quod consilium exercendi agros sequitur. — Dignationem ad singulorum cultorum dignitatem referendam esse censeo. - Iis, quae de facilitate partiendi leguntur, indicari existimaverim, nihil referre, si quis parvum quiddam plus minusve in partiendo acceperit. — Hactenus igitur locum ita interpretandum esse censeo: ab universis, qui locum sive pagum quendam incolant, agros in duas tresve partes distribui, ex quibus singulae secundum ordinem quendam in aliquot annos exerceantur. Quum enim stercorandi usus atque ceterae, quae ad agrorum culturam pertinent, artes a Germanis negligerentur, id quod Tacitus ipse iis, quae in capite sequuntur, testatus est, iam res ipsa ferebat, ut in agris colendis variaretur. Nostris enim temporibus saltus atque tractus montani eadem ratione solent exerceri, cuius rei ipse exemplum deprehendi in civitate Eberbacensium, quae civitas ad radices silvae Ottoniae sita est. In hac enim civitate ager publicus (Gemeindeland, Almend) in senas denas, ni fallor, pluresve distribuitur partes, quas cives, ubi inter se partiti sint, per binos ternosve annos frugibus ita conserant, ut fruges quotannis varient, tum partes illas

incultas relinquant, ut arbusta inde nascantur. Quae ubi exacto vel sedecim vel complurium annorum spatio enata sunt, deciduntur, stirpes autem et virgulta allatis ignibus comburuntur, ut humo vires addant. Simili ratione, ut partem agrorum colerent, partem gregibus pascendis destinarent, partem incultam relinquerent, vicissim in omnibus agris tractandis Germanos usos fuisse, Tacitus mihi videtur indicare.

Iam eo redeamus, unde discessimus. Quod enim attinet ad arva mutandi rationem, iam ex iis, quae praemisi, facile colligitur, singulos cultores in sua quemque particula arva per annos mutasse, quum non deesset, sed superesset ager, quem coli liceret. Qua in re me iuvat addere, fere eadem, quae mihi videar per hos dies excogitasse, iam antea placuisse Henrico de Sybel (Entstehung des Deutschen Königthums pag. 8—9).

Comprobatur autem haec loci Tacitei interpretatio, quod ita Caesar et Tacitus optime inter se conciliantur. Caesar enim (de bello Gall. IV, 1) de Suevis haec habet: Sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco colendi*) causa licet; alio autem loco (d.b, G. VI, 22) de universis Germanis haec habet; neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum et quo loco visum est, agri attribuunt atque anno post alio transire cogunt. Quae si quis accurate perpenderit atque cum ea, quae Taciti temporibus apud Germanos obtinuit, agri colendi ratione contulerit, facile inveniet, hanc aliqua ex parte esse emendatam et praebuisse ansam, unde postero tempore in privatas possessiones mutatio fieret.

Haec habui, quibus meam de loco Taciteo sententiam probarem. Quam ut ab iis, quae in contrariam partem disputantur, defendam, iam de scripturarum discrepantiis et de eorum, qui aliter atque ego sentiant, opinionibus agendum esse censeo. Ex variis autem scripturis eas, quae a recepta illa atque plurimis editoribus probata scriptura: in vices haud multum discrepant, velut: vicem aut vice, ne longus sim, liceat omittere. Maioris momenti eae videntur esse, quibus qui a proposita interpretatione plane abhorrent, suam quisque sententiam confirmant. Ex quibus scripturis ea, quam Ludovicus Doederlein commendat, verba: in vicis

de l'abilité iduité, aprile sampe canting candidatelle bible exactefque

^{*)} Scripturam enim colendi, quam I. C. Held probat, praeserendam esse censeo scripturae incolendi.

exhibet. Sed haec neque codicum manu scriptorum auctoritate comprobatur, neque ad difficultates amovendas opem magnam affert. Vici enim vocabulo aut subiicitur ea vis atque notio, ut praeter aedificia in unum locum coniuncta (Dörfer) praedia quoque significentur, aut non subiicitur. Quodsi vero subiicitur, id quod non satis constat, verba: in vicis nihil aliud ad rem afferunt, nisi agros etiam in minimis civitatis partibus ab universis cultoribus occupari; si non subiicitur, illa verba ferri nequeunt, quod agros non in vicis, sed nisi extra vicos prorsus occupari non posse apparet.

Altera scriptura, quae haud scio an quisquam ex Taciti editoribus receperit, exhibet verba: ab universis vicis. Haec unius codicis MS. Bambergensis, qui et recenti manu scriptus neque satis cognitus est, auctoritate commendatur. Sed quum ei codici ceteri omnes codices, quorum multo maior est auctoritas, repugnent, non est, quod mireris, eam scripturam non solum in dubium vocari, sed etiam ab editoribus reiici. — Accedit, quod Tacitus, si ab universis vicis agros occupari dicat, non peculiarem quandam conditionem, sed talem, qualem apud Germanos usu venisse per se consentaneum erat, videtur memoriae prodidisse. Ii enim, qui hanc scripturam tuentur, occupari agros nihil aliud esse censent, nisi in ditionem quandam redigi. Agros vero non a singulis cultoribus, sed a nationibus aut civitatibus in ditionem esse redactos, per se satis et nunc patet et olim patuit.

Franciscus denique Ritter fatetur quidem scripturam: invicem in eo, quem vel maxime probet, codice Perizoniano exstare, sed eam improbat, quod vocabulo: invicem nihil aliud nisi mutuum quiddam exprimatur, "id vero narrando Tacitus planissime secum pugnet". Quam ob causam scripturam in vicem mutat in scripturam: in vicos atque mutationis vim ita explicat: agros occupari, vici ut fiant. — Sed mihi quidem hanc mutationem minime probavit. Nam quum in illo commentariorum Caesaris capite (d. bell. Gall. 4, 1) haec quoque legantur: hi rursus invicem anno post in armis sunt, aliis autem locis, ut d. bell. Gall. 7, 85, eadem vocabuli: in vicem notio deprendatur, iam satis patet, vocabulo: in vicem non solum mutuum quiddam, sed etiam vicissitudinem quandam rerum deinceps agendarum exprimi posse. Quae vocabuli: invicem duplex notio si probatur, iam argumentum illud, quod ex una illius vocabuli notione ducitur, mihi videtur sublatum esse. — Emendatio autem ipsa, qua ille vocabulo: in vicem substituit in vicos, haud scio

an quidquam habeat praesidii. Nam multa quidem ab illo afferuntur exempla e Germania ipsa petita, ut cap. 20. excrescere in artus; cap. 17. extendere in manicas; cap. 45. lentescere in picem; cap. 46. relinquere in medium, sed iis non probatur, quod probandum erat. In his enim excrescendi extendendique cet. verbis inest notio quaedam aut procedendi aut promovendi; quae si desit, fieri posse, ut verbis praepositio in cum accusativo adiungatur, equidem negaverim. Quam ob rem lectio: "agros occupari in vicos" mihi videtur ferri non posse.

Restat, ut de iis pauca addam, qui contendunt, Tacitum, quum fixas Germanis sedes fuisse tradat*), repugnare scripturae nobis probatae: in vices. Fieri enim non potuisse, quin ii, qui agros in vices occuparent, mutarent et ipsi sedes suas. Sed agros in vices occupare et sedes mutare idem non est, sed magnopere differt. Quod si quis dubitet, requirenti ei magna documentorum, quae multis locis ad hoc tempus exstant, non deerit copia**). — Sunt quoque qui dicant, iis, quae apud Tacitum in quinto ac vicesimo Germaniae capite de servorum conditione legantur: "suam quisque sedem, suos penates regit; frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit", impedimento esse, quominus illa: "agros in vices occupari" probari possint. Sed ipse Tacitus testis est, facilitatem partiendi camporum spatiis praeberi. Quodsi vero ad liberos homines haec partiendi facilitas pertinuit, iam nemini dubium esse potest, quin dominis haud minor fuerit facilitas agros sibi destinatos servis dividendi.

Franciscos denigro difficir mentilitas en la seriplica de procesa de la completa de la completa de la completa

The contract of the state of the contraction of the contract of the contract of the contract of the contract of

halt - Inc., to with **, imprior comes the lights of mir** the bound of the light of

Ence and a street in the specifical of the cicent substitute for the land

^{*)} Cf. Germ. cap. 46. — **) Cf. Sybel, Entstehung d. Deutschen Königthums pag. 9.

or rates and other vicissitudiasm quandam to a gentlem agendarum explusion

person years werehalf sinvitude depict notions in the lart, into argumented filled,